

nistræ cogitationi de proximo adhæreat, et tunc venialiter tantum peccat.

Item peccatum non esset mortale si iudicium temerarium, etiam in materia gravi et plene voluntarium, de aliquo indeterminato formaretur, quia de facto nulli fieret injuria. Ita *Busenbaum* et *S. Ligorius*, l. 3, n. 962. Idem dicendum nobis videtur, si iudicium de homine ignoto feratur, quia injuria respectu ipsius levis est momenti.

5^o Multi, præsertim in Gallia, docuerunt dubitationem et suspicionem temerariam, in materia gravi et plene deliberatam, esse peccatum ex genere suo mortale, quia injuria, licet minor sit quam in iudicio temerario, gravis tamen videtur: at *Layman*, *Busenbaum*, *Ferraris*, *S. Ligorius* et alii communius dicunt peccatum esse duntaxat, ex genere suo, veniale; nam, inquiunt, bona existimatio proximi læditur quidem, sed non tollitur sicut et iudicio: ergo gravis non fit læsio, nec proinde gravis injustitia et grave peccatum.

Excipiunt tamen si quis ex malevolentia in gravi suspicionem aut dubitationem plena voluntate persistat, aut si, absque sufficientibus indiciis, suspicio vel dubitatio fiat de gravissimis peccatis, v. g., si, ex levibus apparentiis, dubium aut suspicionem moveat an talis sacerdos homicidium, adulterium, sacrilegium, etc., commiserit.

6^o *Ferraris* advertit (et dicit hanc sententiam esse communem) dubitationem temerariam negativam, in eo consistentem ut quis, defectu motivorum, nihil pronuntiet circa bonitatem aut malitiam proximi, nullum esse peccatum, quia reipsa nulla infertur injuria proximo.

§ II. — De detractioe externa.

Dicemus 1^o de ejus definitione et divisione, 2^o de ejus vitio, 3^o et de illam audientibus et non impediens.

De definitione et divisione detractiois.

Detractio est *occulta et injusta famæ alienæ læsio seu*

denigratio. Dicitur *occulta*, quia, sicut furtum, fit in occulto, id est, in absentia personæ læsæ, etsi fiat coram aliis etiam multis; sicque differt a contumelia, quæ fit coram persona, et aperta est honoris læsio vel ablatio. Dicitur *injusta*, quia fieri potest ut fama vel honor alterius juste imminuatur, et tunc proprie dicta non est detractio.

Dividitur 1^o in formalem et materialem: est *formalis* si cum directa intentione alienam famam denigrandi fiat; est vero *materialis tantum*, si absque voluntate famam alterius denigrandi fiat, sed cum periculo præviso, aut quod prævideri debuit, famæ alterius nocendi.

Dividitur 2^o in directam et indirectam: est *directa* si quis habeat voluntatem expressam famam alterius lædendi, quod quatuor modis in sequenti versu contentis fieri potest:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

scilicet 1^o imponendo alteri falsum crimen, et est calumnia; 2^o augendo seu amplificando et exaggerando crimen verum; 3^o revelando crimen occultum; et 4^o opus bonum sinistre interpretando, vel temere iudicando exterius, ut Judæi dicentes de Christo: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*.

Indirecta ea est qua fama proximi læditur indirecte, id est, quasi negative, et fit etiam quatuor modis in hoc altero versu expressis:

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatve remisse:

id est, 1^o bonum alterius negando, 2^o illud imminuendo, 3^o malitiose tacendo, ubi alter laudandus esset, et 4^o frigide laudando, ita ut talis laus, ex circumstantiis, magis appareat vituperium.

Dividitur 3^o in contumeliam, diffamationem et susurationem. *Contumelia* est injuria alteri præsentis illata, ipsi exprobrando crimen vel defectum verum aut falsum: si fiat coram aliis, est simul contumelia et detractio. Ad contumeliam pertinent convicium et improperium, item de-

risko et subsannatio, quæ motibus corporis injuriosis fieri solent. *Diffamatio* est detractio publica aut quæ fit publica. *Susurratio* est prava oblocutio de proximo, tendens ad tollendam ipsius cum aliis amicitiam et ad seminandas discordias.

4^o Aliquando detractio famam privati aut privatorum lædit, et aliquando famam personarum publicarum, famam communitatis.

5^o Insuper fieri potest viva voce, ut frequenter accidit, et scriptis, sive libellis famosis, sive ephemeridis (gallice, *par des libelles diffamatoires, par des journaux*). Hoc genus detractiois est omnium gravissimum, et producit mala irreparabilia.

De vitio detractiois.

1^o Nullum est dubium quin calumnia in materia gravi sit peccatum mortale: ubique enim in Scriptura et traditione exhibetur calumnia ut grande crimen, calumniator est insignis criminator. Sola levitate materiae vel defectu advertentiæ excusari potest a peccato mortali. *Ita omnes.*

2^o Detractio non calumnians, sed occultum manifestans, est peccatum ex genere suo mortale, ut probatur 1^o *Scriptura sacra* dicente, Prov. xxiv, 9: *Abominatio hominum detractor*; Eccli. xxviii, 15: *Susurro et bilinguis maledictus*. B. Paulus, Rom. i, 30 et 32, *detractores* inter susurrones et contumeliosos annumerat, vocat Deo odibiles, et pronuntiat eos qui talia agunt dignos esse morte.

2^o *Testimoniis Patrum et doctorum*, qui in hoc sunt unanimes.

3^o *Ratione*. Per detractioem enim non tantum læditur charitas, quod evidentissimum est, sed et justitia, siquidem ille de quo detrahitur habet jus ut sibi non auferatur bonum utile, detractori minime nocivum. Insuper bonum publicum exigit ut fama non ita, absque ratione sufficienti, tollatur etiam privatis, siquidem hæc fama sic servata majora sæpe impedit mala, quæ diffamatus facere non timeret, et semper est via ad conversionem nocentibus parata.

Quadruplici modo tamen fieri potest venialis, videlicet: 1^o defectu voluntarii; si enim ex inadvertentia verbum excidat, nullum est peccatum; si quædam sit advertentia, sed imperfecta, et semiplenus consensus, peccatum est tantum veniale; 2^o defectu infamationis, si nempe res sit ex parte cognita, ita ut locutio famæ parum noceat in opinione eorum quibus fit revelatio; 3^o defectu gravitatis materiae, si videlicet res quæ revelatur sit levis absolute, vel ratione circumstantiarum, personæ de qua vel cui fit detractio; sæpe enim quod esset gravis infamatio respectu unius personæ, levis est momenti respectu alterius; 4^o defectu injustitiæ, id est, si adsit ratio crimen aut defectum revelandi, quamvis non omnino sufficiens.

Cæterum, revelare rem gravem occultam, cum perfecto consensu et absque ratione vel uni personæ gravi, est peccatum mortale, quia talis infamatio major æstimatur injustitia apud omnes quam furtum objecti ad peccatum mortale sufficientis.

Hinc 1^o revelare naturales defectus animi vel corporis, v. g., dicere de aliquo quod sit stupidus, spurius, luscus, ignarus, etc., communiter habetur ut peccatum veniale, quia tales defectus non sunt mortales, nec gravis reputatur infamia apud prudentes, nisi grave damnum inde secutum esset, puta, si revelaretur clericum esse spurium, si de viro honorabili diceretur quod vilissimum exercuisset officium, etc. Omnia hæc maxime pendent a circumstantiis.

Hinc 2^o ut levis detractio plerumque æstimatur si alius generalibus peccatorum nominibus infametur, v. g., dicitur eum esse iracundum, superbum, difficilis indolis, etc.; quia audientes hæc solent intelligere de naturali defectu, et fama graviter non læditur. Ex quibusdam tamen circumstantiis peccatum fieri posset grave, imo et quandoque voces generales aliquem graviter infamarent, v. g., si diceretur eum esse avarum, ebriosum, luxuriosum, etc.; quia voces illæ immediate actus et habitus graviter culpabiles indicant.

Hinc 3^o referre peccata venialia non est generatim gra-

vis detractio. Gravis tamen fieri posset, habita ratione quarumdam circumstantiarum, v. g., si de persona suo ministerio, sua virtutis fama eminenti, simul reveletur esse mendacem, pigritiæ, sensualitati, etc., deditam.

Hinc 4º referre peccata mortalia, quæ, ob conditionem personæ, famam ejus leviter tantum lædunt, ut dicere de milite quod habeat concubinam, scortum introierit, in duello decertaverit, etc., est peccatum veniale: hæc vero dicere de clerico, de juvene bene notato, mortale esset.

Hinc 5º crimen notorium referre personis illud ignorantibus, sed brevi scituris, ad summum est peccatum veniale et sæpe nullum peccatum, quia reus jam amisit jus ad famam suam, et rationabiliter exigere non potest ut illud scientes taceant. Sæpe utile est ut personæ quæ relationes habent vel habituræ sunt cum reo, crimen ejus non ignorent. Hic agitur de facto notorietate facti cognito, id est, per evidentiam rei; ubi vero est notum notorietate juris, id est, ubi lata est sententia condemnationis, omnes de illo licite loqui possunt, quia tale factum de natura sua est publicum. Attamen, peccaret saltem contra charitatem, si non contra justitiam, ille qui tale crimen patefaceret in locis ad quæ sententia probabiliter non est pervenienda, quia pœnam intentam excederet, et sine ratione sufficienti proximo noceret. *Sic plures.*

Si crimen alicujus per viam injustam notum fiat, non licet illud aliis manifestare, si cognita sit injustitia primæva diffamationis, nisi factum de quo agitur sit vere publicum; in eo enim casu, quæcumque fuerit injuria ipsi initio illata, reus jus ad famam suam amisisse videtur.

Hinc 6º qui narrat se tale vel tale alicujus crimen occultum ab aliis audiisse, nihil affirmans, nec habens propositum nocendi, venialiter tantum peccat, quia hujusmodi narratio non nata est ad persuadendum rem esse talem; attamen si adverteret ex suo testimonio, ex modo narrandi vel ex aliis circumstantiis, persuasos fore audientes, mortaliter peccaret.

Hinc 7º qui crimen olim publicum, sed nunc oblitum, manifestat, eodem modo peccat ac si nunquam exstitis-

set diffamatio, siquidem crimine oblito, jus ad famam rediit.

Semper advertendum est illum qui fuit diffamatus sub quodam respectu non eo ipso sub alio diffamari posse.

8º Occulta mortuorum crimina revelare peccatum est mortale, obligationem restituendi inducens; nam defuncti tantum habent jus ad famam suam quantum vivi, et fama post mortem servata est bonum ab omnibus appetitum, cujus intuitu homines sæpissime magnas operantur actiones. *Est sententia communis.* Inde historiographi ignominiam memoriæ defunctorum sine causa sufficienti inurentes, occulta manifestando, cognita exaggerando, perverse interpretando, pœnitentiam non referendo, etc., mortaliter peccant.

Major tamen conceditur latitudo historicis quam aliis ad narranda facta publica, oblivione sepulta vel sepelienda, in uno vel in altero loco tantum cognita, ut ad posteritatem transmittantur ad aliorum exemplum, terrorem, emendationem inserviant, etc.

9º Quadruplicem ob finem crimina vel defectus occultos proximi revelare licet; 1º ob utilitatem revelantis, ut consilium, auxilium vel solatium in sua afflictione obtineat, secluso quocumque maligno affectu detrahendi aut lædendi; sed, in eo casu, revelationem facere debet cum minimo famæ alterius detrimento: dicere igitur debet id tantum quod stricte necessarium est eis quibus oportet, et non aliis, et etiam tacitis nomine ac qualitate personæ, si possibile sit; 2º ob utilitatem delinquentis, nempe ad ipsius instructionem, correctionem, emendationem, etc. Sic frequenter licitum vel etiam jussum est jure naturali occulta delicta filiorum, servorum, inferiorum, manifestare, in spiritu charitatis, eorum parentibus, dominis vel superioribus; ipsi parentes, domini, superiores licite loquuntur inter se de peccatis vel defectibus occultis subditorum, ut eos recte cognoscant et efficacius emendent vel corrigant; 3º ob utilitatem publicam; bonum enim particulare cedere debet bono generali, et nullus habet jus sic, per sua vitia occulta, societatem turbandi vel lædendi: unde qui scit

alterum parare reipublicæ proditiōnem, religionis subversionem, superioris occisionem, communitatis turbationem, juventutis corruptionem, etc., eum manifestare potest, imo tenetur ex charitate, cum minima tamen, quantum fieri potest, famæ ejus læsione et absque maligno affectu: idem dicendum est si quis improbus vel non idoneus probo et idoneo præferendus esset in magistrum juventutis, in parochum, in medicum, cum multorum damno spirituali vel temporali; 4° ob utilitatem privatorum, sive audientium, sive aliorum, ut a malis, damnis, incommodis sibi aliunde certe aut probabiliter eventuris caveant; charitas enim bene ordinata et ordo societatis postulant ut nocere volentes sic a malo aliis inferendo prohibeantur. Hinc imperitus advocatus, medicus, confessorius, artifex, servus improbus, ancilla moribus corrupta manifestari possunt iis quibus notabile damnum illaturi essent, dummodo absit quilibet malignus affectus, et id duntaxat declaretur quod ad impediendum malum necessarium est. *A fortiori* qui interrogantur circa probitatem, peritiam, mores hujusmodi hominum ab iis quorum interest illorum agendi rationem cognoscere, juxta veritatem sibi cognitam, cum simplicitate et sine animo nocendi, respondere debent. Verum nulla causa excusare potest calumniam, quæ intrinsece mala est.

Patet ex dictis quanta cum prudentia loquendum sit de peccatis et vitiis proximi; « nisi quippe dicamus, inquit » *Ferraris*, v° *Detractio*, art. 1, n. 13, ob imperfectionem » actus, v. g., ob ignorantiam, ob inadvertentiam ad nocumentum proximi, vel ob vehementem passionem, » aut præcipationem mentis et linguæ, detractiōnem » sæpissime excusari a mortali; adeo familiare est hoc vitium, quod totum pene genus humanum periclitabitur. »

De audientibus detractiōnem et non impediētib.

1° Voluntarie et sine causa detrahentes audire et non impedire, cum facile impediri possent, mortale est peccatum, secundum opinionem communem: *Remove a te os*

pravum, et detrahentia labia sint procul a te, Prov. IV, 24; et, ut ait *S. Hieron.*, Epist. 34, ad Nepot., n. 14: « Ne » que vero illa justa est excusatio: Referentibus aliis injuriam facere non possum; nemo invito auditori libenter » refert... Discat detractor, dum te videt non libenter » dire, non facile detrahere. »

2° Tripliciter aliquis potest esse auctor detractiōnis ab alio factæ, in illam positive influendo, ei consentiendo, et simpliciter eam non impediendo. Qui in illam positive influit, ad eam inducendo, provocando, excitando, approbando, mortaliter peccat, sicut detractor contra justitiam, *ut patet*; qui vero in illam positive non influit, sed ei consentit, in illa malitiose sibi complacet, mortaliter etiam peccat, in re gravi, sed contra charitatem et non contra justitiam, ac proinde ad reparationem damni non tenetur. Qui autem in eam non influit, nec ei consentit, sed eam non impedit, cum facile impedire posset, sæpe mortaliter peccat contra charitatem, tum erga detrahentem cujus ruinam spiritualem non impedit, tum erga infamatum cujus famam non curat, sicut rationabiliter vellet ut in simili casu fama sua defenderetur. Ut probabile trademus in *Tractatu de Restitutiōne* superiores contra justitiam peccare posse, subditos coram se detrahentes non cohibendo, aut de inferioribus detrahentes non impediendo.

Quæritur an liceat legere libellos diffamatorios.

Respondet *P. Antoine*, t. 3, p. 337: « Jure naturali » non licet librum famam proximi lædentem, et crimina » vera, sed occulta, sine causa justa pendentem legere, » perinde ac audire detractiōnem: nam crimini auctoris » libri quodam modo consentit aut cooperatur lector, ut » auditor detractiōni. Præterea, quisque rationabiliter vellet ut liber contra ejus famam injuste scriptus a nemine » legeretur. »

Variæ tamen, ex usu et etiam ex quadam necessitate moribus introducta, leguntur ephemerides (*les différents journaux*) famam multorum hominum sæpissime graviter lacessantes et non raro injuste; sed 1° qui hæc scribunt sæpe graviter peccant contra charitatem et simul contra

justitiam; 2^o lectores hujusmodi diffamationibus fidem adhibere non debent, nisi sufficientia exhibeantur certitudinis motiva; 3^o a legendis ephemeridibus diffamationem quasi ex professo facientibus abstinere debet vere Christianus, et a fortiori clericus.

§ III. — De revelatione secreti.

Hic seponimus secretum confessionis *de quo alibi diximus*.

Secretum naturale, de quo nunc agitur, triplex distinguitur; unum ex natura rei, alterum promissum, et tertium commissum.

1^o *Ex rei natura*; si quis enim secretum alicujus personæ casu cognoverit, v. g., quia sibi indiscrete fuit revelatum, eam audivit loquentem, litteram non volens legit, etc., ex natura rei ad servandum secretum obligatur sub peccato mortali, in materia gravi, et ex justitia; non tamen cum periculo vitæ, nisi damnum alias imminens esset commune et grave. Ita *Ferraris*, et *S. Ligorius*, l. 3, n. 970, cum pluribus aliis.

2^o *Promissum*; id est, si manifestanti aliquid secreti promittas te servaturum. Hæc promissio graviter vel leviter obligat secundum intentionem promittentis. Ita *Sal-manticenses*, *Sanchez*, card. *de Lugo*, et *S. Ligorius*, qui putat in dubio neminem sub gravi obstrictum censeri.

3^o *Commissum*. Hoc secretum duplici modo committi potest, scilicet expresse vel tacite, ut fit medicis, chirurgis, obstetricibus, theologis consultis, advocatis, secretariis, etc. Evidens est illud obligare ex justitia et sub peccato mortali in materia gravi.

Ad eandem classem, *Ferraris* v^o *Secret.*, n. 14, revocat amicos et propinquos quibus consilii, remedii vel auxilii obtinendi causa quædam revelantur secreta, quia illa suscipiendo, censentur promittere se ea servaturos.

A fortiori contra justitiam mortaliter peccarent qui revelarent secreta per injustitiam cognita, v. g., litteras fraudulenter aperiendo. Res per se patet.

Quædam tamen occurrere possunt causæ ob quas secre-

tum revelare liceat, scilicet 1^a consensus legitime præsumptus personæ in cujus gratiam servaretur, si nempe judicaretur eam, habita ratione circumstantiarum, rationabiliter velle non posse ut secretum servetur; 2^a parvitas rei sub secreto commissæ: tunc revelatio saltem non est gravis; 3^a notorietas rei aliunde acquisita aut semiacquisita: in eo casu secretum obligare non potest sub gravi; 4^a inadvertentia qua fit ut revelans bona fide ignoret rem esse gravem: caveant tamen qui tenentur ad secretum, ne illud ex culpabili levitate prodant; 5^a justa causa revelandi, si nempe secretum servatum vergeret in damnum commune, in grave detrimentum innocentis vel ipsius committentis; quia tunc ordo charitatis postulat ut reveletur, etiamsi juratum fuisset. *Est sententia communis*, inquit *S. Ligorius*. Hinc qui matrimonii impedimentum sub secreto cognoscit, illud revelare tenetur, si matrimonii nullitatem aliter impedire non possit.

Similiter, ex probabiliori ac communiori sententia, qui secretum sibi commissum servare nequit absque gravi proprio detrimento, illud cum pari committentis damno revelare potest, quia nemo censetur se ad tale onus obligasse, nisi ex circumstantiis id certe appareat. Ita *S. Ligorius*, citans *de Lugo* et *La Croix*. Excipiunt nisi ex tali revelatione grave secuturum esset damnum commune, quia bonum privatum bono communi cedere debet.

Quærent theologo an sit mortale rem gravem sub secreto commissam, uni vel alteri viro probo sub eodem secreto revelare. Respondet *S. Ligorius*, l. 3, n. 971, cum aliis, hanc revelationem esse probabiliter tantum venialem. Sed videant loquaces ne discrimini mortaliter peccandi facilius se committant.

De violatione litterarum.

1^o Litteras alienas, invitis dominis, furtim aperire et legere, communiter est peccatum mortale, nisi parvitas materiæ excuset, quia talis actio ipsis ordinarie graviter est odiosa; et ita sentiunt *Layman*, *Navarrus*, *Busenbaum*, *La Croix*, *Molina*, *Ferraris* et alii communiter.

Imo litteras dilaceratas, præsertim in ignem, fornacem, vel in alium similem locum projectas, recolligere, coordinare et legere, peccatum est mortale, quia hoc fit domino rationabiliter invito. *Æstimat S. Ligorius*, l. 5, n. 70, § 6, colligere et legere, ex mera curiositate, fragmenta in locum publicum projecta, peccatum esse veniale, quia probabile est dominum non magni facere secreta hujusmodi litterarum: secus, si constaret eas ab alio, in scio domino, dilaceratas et projectas fuisse, aut si casu perditæ fuissent.

2º Qui secreta alterius scripta furtive legit, eo invito, peccat etiam contra justitiam, quia unusquisque habet jus secreti in scriptis suis quæ non vult aliis esse communia, et peccatum potest esse mortale, si nempe hoc fiat cum notabili damno proprietarii, vel cum gravi ipsius displicentia. Ita card. *de Lugo*, *Busenbaum*, *S. Ligorius*, etc.

3º Qui alterius litteras vel scripta injuste legens, cognoscit medium secretum quo ad munus, officium vel lucrum erat perventurus, et sic instructus eum prævenit et supplantat, sive per se, sive per alium, evidenter et juxta omnes peccat contra justitiam, ac restituere tenetur pro ratione probabilitatis successus et damni illati.

4º Item contra justitiam peccat et ad restitutionem tenetur, qui dolose retinet alienas litteras quas ex officio vel contractu tradere debet, si ex mora sequatur damnum; quia illius est causa injusta.

5º Non raro tamen alienas litteras aperire licet, aut saltem non est grave peccatum, nempe 1º si adsit consensus eas scribentis vel ejus ad quem mittuntur; 2º si legitima adsit præsumptio rati habitationis futuræ, id est, si legens rationabiliter præsumat scribentem vel eum ad quem litteræ mittuntur hoc sciens non ægre laturum esse; 3º si necessarium sit ad avertendum proprium vel alienum damnum injustum, quia sibi vel alteri innocenti consulere licet contra injustum damnificatorem: sic princeps et dux exercitus litteras hostium vel aliorum ex finitimis hostium venientium licite aperiunt: item ministri publici, quando bono publico necessarium esse judicant; pater litteras fi-

liorum-familias præsertim minorum, superiores litteras subditorum, etc.; 4º si rationabiliter præsumatur eas nihil gravis momenti continere.

6º Superiores monasteriorum litteras inferiorum ad superiores majores, vel superiorum ad inferiores, pœnitentium ad confessarios, vel confessariorum ad pœnitentes, aperire, legere, impedire aut retardare non possunt absque gravi peccato, quia per hoc fraterna charitas turbaretur, et bonum religionis impediretur. Unde *Clemens VIII*, decreto diei 26 maii 1593, recensuit inter casus reservabiles malitosum impedimentum, retardationem aut apertionem litterarum a superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad superiores.

7º Scribere ad superiorem litteras anonymas quibus occulta alicujus subjecti delicta ei manifestentur, in spiritu charitatis, ad correctionem, nullum est peccatum, et superior sic admonitus ad disquisitionem delictorum sibi indicatorum procedere potest; sed idem facere ex odio aut vindicta, est peccatum ex genere suo mortale, ut expresse docet *Ferraris* cum aliis pluribus, et res clara videtur.

ARTICULUS TERTIUS.

DE DETRACTIONE JUDICIALI.

Detractio judicialis ea est quæ fit per sententiam criminalem vel correctionalem, qua scilicet fama alterius tollitur, minuitur vel læditur, quod fieri potest juste vel injuste: nobis igitur dicendum est de iis qui ad sententiam judicialem concurrunt, nempe 1º de iudice, 2º de accusatore, 3º de testibus, 4º de reo, et 5º de advocato.

§ I.— De iudice.

Judex, sic dictus quia jus dicit populo, est persona auctoritate publica constituta ad reddendam justitiam omnibus subditis juxta regulas legis et ordinem ab ea præscriptum.

Alius est ecclesiasticus, nunc de solis spiritualibus judi-

cans; et alius civilis, judicans de temporalibus, id est de litibus inter privatos, de delictis et criminibus.

Lites moveri possunt circa ea omnia quæ pretio æstimantur, ut bona fortunæ, jura ad ea obtinenda, et fama.

Delicta, a verbo *delinquo*, sunt transgressioniones legum et præscriptionum civilium; crimina sunt facta bonis moribus et ordini sociali opposita.

Tribunalia nunc apud nos existentia sunt justitia pacis, in unoquoque districtu (*canton*); tribunal primæ instantiæ, in singulis præfecturis et subpræfecturis, pro litibus judicandis et pœnis correctionalibus infligendis; curia appellationis in viginti septem civitatibus, ad quam fit appellatio a tribunalibus primæ instantiæ. In singulis præfecturis quater in anno sedet pro causis criminalibus curia dicta *d'assises*, cui præest membrum curiæ appellationis respective a ministro justitiæ designatum. Existit præterea suprema curia Parisiis sedens, vulgo *cour de cassation*, quæ sententias curiarum *d'assises* et curiarum appellationis ad se per appellationem delatas ultima vice confirmat, vel nullas esse defectu formarum pronuntiat; et in alia curia, quam designat, causam iterum judicandam esse decernit.

Omnes judices a Præside Reipublicæ nominantur.

Pro judicandis criminalibus causis adhibetur corpus duodecim notabilium civium, vocatum gallice *jury*, cujus membra dicuntur *jurés*, a voce latina *juratus*, quia juramentum præstant. Pronuntiare debent circa existentiam facti et culpabilitatem accusati: postea judices pœnam decernunt.

His notatis, dicemus de obligationibus judicis 1° relative ad se, 2° relative ad leges, 3° relative ad accusatum, et 4° de obligationibus juratorum.

De obligationibus judicis relative ad se.

Ut judex officio suo, sæpe valde difficili, illæsa conscientia, fungi possit, plures habere debet dotes non mediocres, videlicet: 1° intelligentiam non communem, ut

causas intricatas, argumentis colitigantium et advocatorum obscuratas, recte percipiat; 2° scientiam sufficientem ut omnes circumstantias juris et facti advertat: ignari igitur et hebetes officium judicis tuta conscientia suscipere non possunt; 3° animi fortitudinem, ut nec odio, nec amori, nec desiderio vindictæ, nec promissionibus, nec precibus, nec minis cedat, sed solum conscientiæ dictamen sequatur, juxta hæc Scripturæ verba, Eccli. VII, 6: *Noli quæverere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua*; 4° morum gravitatem et integritatem, ut alios in æquitate judicans, ipsis bonum præbeat exemplum.

Hinc qui ex imperitia, vel negligentia in discutienda et examinanda causa, male judicat, contra justitiam mortaliter peccat et ad reparationem totius damni inde secuti obligatur: nec absolvi potest, nisi aut muneri suo renuntiet, vel scientiam competentem acquirat, et sufficientem diligentiam se deinceps adhibiturum sincere promittat.

De obligationibus judicis relative ad leges.

1° Tenentur judices secundum leges et ordinem a legibus præscriptum sententiam ferre; non enim constituuntur ad leges mutandas aut reformandas, sed ad eas executioni mandandas: ergo eas strictè sequi debent, nisi evidenter essent injustæ, quo in casu a judicando abstinere tenerentur. Hinc peccat judex qui, misericordia motus, absolvit nocentem, vel minorem imponit pœnam quam quæ a legibus fuit constituta. Secus tamen dicendum foret de judice qui spiritum legis potius quam verba sectaretur, habendo rationem ætatis, conditionis, fortunæ, etc., ut mitiorem vel graviorem decerneret pœnam.

2° Si, omnibus sedulo perpensis, crimen maneat dubium, accusatus condemnari non potest; melius est enim reum dimittere inultum quam punire innocentem. *Ita omnes*. In materia civili pronuntiandum est in favorem possidentis, juxta axioma: *Melior est conditio possidentis*. Si